

tem necessitas remittendi est imposita *Nov. 134. l. 7. §. fin. d. ac-*  
*cus. l. 28. §. 15. d. pæn. vid. Don. 17. com. jur. civil. 16. c. Covar. pract.*  
*quest. 11. n. 3.* in primis quoque quia remedio literarum rever-  
salium remittentis jurisdictioni, per istam remissionem nul-  
lum fit præjudicium. Quod, uti dictum, procedit jure civi-  
li. Nam hodie remissiones tales non amplius sunt *necessitatis*  
sed *honestatis & urbanitatis*. *Tessaur decis. 90. n. 3.* ex ratione sa-  
tis perspicuâ, quod par in parem nullum habet imperium, &  
magistratibus alterius principis nulla ejusmodi necessitas  
imperari potest. *Diss. Dambaud in pract. crim. c. 33. n. 1.*

19. An a. inter causas hujus actionis *mora* quoque re-  
ferenda sit, nō omnino res liquida est; & licet aliis affirmati-  
va sententia arrideat, magis tamen negativæ sententiæ sub-  
scribere lubet, quia etiam nullâ propriè ita dictâ morâ com-  
missâ, arbitrariâ agi potest, ut puta si debitor difficultate ju-  
stâ, quæ à morâ excusat *l. 21. cum ll seqq. d. usur. Dd. in l. quod te*  
*ff. si cert. pet. impeditus fuerit, quo minus ad locum conventū*  
*veniret d. l. 1. Wesemb. hīc n. 6.*

20. Neque *tempus* nostræ actionis causis ad sociare  
audeo: cum ex adjectione temporis non ita atque ex adpo-  
sitione loci alibi agendi facultas præscindatur; quia jure  
communi simul atque temporis ultima dies est elapsa, dire-  
cta actio competit *§. omnis 7. d. O. V.* & ea ubivis intentari  
potest, modo reus ibi forum sortiatur. At aliter est in ad-  
jecto loco, cujus adjectione creditor sibi in cæteris præjudi-  
casse videtur, quod sibi reservavit electionem & potestatem  
agendi certo loco *l. 12. pr. d. judic. l. 12. §. 43. d. fund. instruct. l. fin.*  
*vers. & siquidem C. d. pact. conv.* & inde emphaticōs titulus no-  
ster de eo, quod certo loco, non etiam de eo, quod certo tem-  
pore dari oportet, est inscriptus. His accedit, quod ratione  
temporis solum id, quod interest stipulatoris, veniat, cum a-  
ctio arbitraria rei non minus, quàm actoris contineat utili-  
tatem *l. 2. pr. l. 8. b. t.* & quia tempus tempore continetur, ita ut  
qui debuit Calendis Martii, etiam & multo magis debeat  
Calendis Maji; locus v. in loco non continetur, ita ut alio lo-  
co invito stipulatore agi possit *l. 9. ff. b. t.* Neque actio fit arbi-  
traria propter solam loci adjectionem, sed quando quoque  
cre-